



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Nuclevs Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum  
quæ scitu vel necessaria, vel valde utilia sunt  
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

**Agostini, Giuseppe**

**Coloniae Agripp., 1644**

De Vana Obseruantia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41767**

Omen , & Chiromantia : his additur Sortilegium per sortes diuinatorias , ad diuinandas scilicet res occultas , quibus maximè uti solent Mahometani : nam sortes diuisoriæ , quibus aliquæ res diuiduntur in plures ; non sunt per se illicitæ præcisè : nec sortes consultoriæ , quando subest rationabilis cauſa , & expeſtatur à Deo humiliter electio , cùm aliter fieri commodè nequeat . Agunt de Diuinatione Suar . loc . cit . cap . 7 . &c . Filliae . loc . cit . à cap . 3 . Azor . tom . 1 . lib . 9 . à cap . 12 . Sanc . in sum . to . 1 . l . 2 . à . cap . 38 .

### De Vana Obſeruantia .

**T**ertia species ſuperitionis dici ſolet Vana obſeruantia , quæ conſiftit in hoc : quando ſcilicet ſperatur aliquis effectus , alioqui etiam bonus , per media ; quæ videntur eſſe licita , & religiosa ; ſed tamen non ſunt ad illum effectum ſufficientia : & ſic ſaltem tacite immiſcetur commercium , & pactum aliquod cum dæmonē , & eius cultus : nā dæmon , etiam per res ipſas alioqui ſanctas , conatur hominem decipere , & ſibi coniungere . Hoc autem hiſ communiter

I

modis

modis contingere solet. Primo cùm alii  
quis per quādam determinatas oratio-  
nes, & iejunia, & similia vult habere sci-  
entiam veluti infusam: & hæc dici solet  
ars notoria, quæ à dæmonে tradita est.  
Secundo cùm ad sanitatem obtine-  
dam usurpantur media vana, & inuti-  
lia admixta rebus sacris, & orationi-  
bus, non approbatis ab Ecclesia. Huc  
reducitur vana obseruantiæ circa Reli-  
quias, Euangelia, Sacram Scripturam,  
& res Sacramentales: quando illis ad-  
miscentur quædam determinataæ cir-  
cumstantiæ inutiles, & vanæ: & adhi-  
bentur ad effectus, ad quos non sunt à  
Deo, vel ab Ecclesia ordinata: hoc enim  
etiam pacto dæmon illudit homines.  
Huc etiam reducitur vana obseruan-  
tia quorumdam euentuum ad prædi-  
cendos alias futuros: ut si in nocte S.  
Ioannis hoc, vel illud contingat: & si-  
milia, quæ in re graui, & posita notitia,  
quod sunt res prohibitæ, & inutiles, po-  
terunt esse peccata mortalia: at vero ex  
ignorantia, aut ex leuitate facta, ma-  
xime in rebus leuis momenti à rudibus  
hominibus; erunt venialia. Agunt de-

vana

vana obseruantia Sanchez loc. cit. cap. 40.  
Bonac. tom. 2. disp. 3. q. 5. p. 4. Filliue. loco  
cit. cap. 6. Tolet. lib. 4. cap. 16.

### De Maleficio.

10 **V**ltima species superstitionis ponitur esse Maleficium: sed hæc facile reduci potest ad primam, nempe ad Magiam: est enim Maleficium, cùm alius quis arte oculorum faciat, vel dicit aliqua ad nocendum alijs. Quare quæ diximus de Magia, quantū pertinet ad peccatum superstitionis, possunt hoc transferri: solum enim differre possunt, quia potest esse Magia solum ad mira quædam facienda, etiamsi alijs non noceant: Maleficium vero est ad nocendum. Solet etiam dici Veneficum: vnde habet etiam adnexum peccatum iniustitiae, sicuti etiam & alias superstitiones habere possunt: & potest etiam esse ad turpem amorem, qui est malum spirituale, & interdum etiam temporale proximi. Ex quibus omnibus constat, has omnes species superstitionis, in ratione superstitionis, habere malitiam ex uno capite, qua includunt

I 2 pa-